INSTRVCTIO

Pro Adminiſtratione rerum temporalium Collegiorum, ac Domorum Probationis Societatis IESV.

LICET de rei familiaris adminiſtratione quædam in Conſtitutionibus part. 3. cap. 2. §. 7. & part. 4. cap. 2. plura in Regulis Prouincialis cap. 9. Rectoris cap. 6. & Procuratoris: nonnulla in Congregationum generalium decretis, maximè Septimæ d. 82. & Octauæ d. 15. & 60. aliqua denique à Præpoſitis Generalibus varijs temporibus præſcripta habeantur, vt nihil præterea hoc de argumento deſiderari poſſit; Congregatio tamen Octaua generalis decr. 15. & 60. conſiderans ex vna parte quantopere à cura bonorum temporalium, quę à S. P. N. part. 3. cap. 2. §. 7. dicuntur propria Domini Noſtri Ieſu Chriſti, res ſpirituales, ac bonus Societatis ſtatus, ac progreſſus pendeat: ex altera moleſtè admodū ferens, ab ijs, ad quos pertinet, non vno nomine in œconomia peccari; peculiarem hac de re Inſtructionem faciendam, & cum Prouincijs communicandam eſſe ſtatuit, qua vnum quaſi ſub aſpectum ponerentur omnia, quæ hinc inde ſparſa facilè ignorari, atque è memoria effluere neceſſe eſt.

Cum ergo nunc, pluribus tum coram, tum per literas huiuſmodi rerum peritis ſuper hoc

negotio conſultis, ipſa Inſtructio cõfecta, atque approbata fuerit; nihil aliud ſupereſſe videtur, quàm vt Prouinciales, Rectores, & Procuratores, quorum partes ſeorſim in ea deſcribuntur, pro virili adlaborent, vt quæ ſapienter prouiſa, & ſtatuta ſunt, ſeriò, & coſtanter in praxim deducantur.

Pro Prouincialibus.

ILlud ſibi perſuadeat Prouincialis, nulla re vniuerſim certiùs, ac citiùs euerti bonum Collegiorum ſtatum, quàm ſi maiores prouentibus expenſæ fiant: vel ſumptus minimè neceſſarij permittantur: vel Rectores, ac Procuratores parùm œconomiæ periti ſint, & tutò ſe incurioſos eſſe poſſe in adminiſtratione ſua ſperent.

1 Ergo collato quamprimum numero Sociorum, qui ſunt in Prouincia, cum annuis redditibus, ſi deprehenſum fuerit, horum ſummam à numero capitum excedi; nulli ad aliquod tempus ad Nouitiatum admittantur, ſi id R. P. N. omnibus perpenſis, expediens eſſe, aut neceſſarium iudicauerit (Congregatio Octaua d. 60. §. 1) aut certè numerus recipiendorum à ſua Paternitate determinetur, quem tranſgredi nullo modo liceat, abſque eiuſdem conceſſione.

2 Ac ne, vrgente neceſſitate deputandi quotannis nouos Magiſtros ſcholarum inferiorum, cogatur plures admittere; ſtudeat aliquot ſemper ſub finem ſtudiorum, & poſt peractum tertium probationis annum, hiſce ſcholis addi-

cere, iuxta ſuam regul. 24.& 25. in Ratione ſtudiorum: cum præſertim Congregatio Octaua d. 8. munus docendi Grammaticam; & literas humaniores proprium eſſe Societatis miniſterium, nec certo temporis ſpatio, nec certis perſonis circumſcriptum declarauerit.

3 Quod dictum eſt de Prouincia vniuerſa, dictum etiã putet de ſingulis Collegijs. Perpenſa igitur exactè ſumma omnium redditum; & eleemoſynarum, ac de conſilio peritorum conſtituto qui ſumptus in ſingula capita neceſſarius ſit; plures quàm in ſingulis domicilijs per facultates ali poſſint, nullo modo alantur (Congregatio Septima d. 82. §. 1.) immo, vt ibid. ſtatuitur, pauciores: vt ſi quid ſuperſit, id totum in diſſolutione æris alieni impendatur.

4 Ad minuendum autem numerum Sociorum in Collegijs, opus erit nouas obligationes ſponte non ſuſcipere, immo onera, ad quæ ex fundationibus, aut Conſtitutionibus non tenemur, ad tempus omittere, admonito tamen prius Generali (Congregatio Septima d. 82. §. 4.) Item ſtrenuos Operarios, maximè Coadiutores temporales habere (ibidem §. 5.) nec vllo modo permittere, vt aliqui, leui duntaxat quapiam occupatione contenti, plurimùm otientur.

5 Conſultum etiam fuerit aliquot Sociorum paria, ferè continenter, in Miſſionibus occupare, aut etiam in quibuſdàm locis Reſidentias ad tempus conſtituere, quæ ex eleemoſynis viuant: imò aliqua parua Collegia, & malè ma-

teriata ad certum tempus pariter in huiuſmodi Reſidentias conuertere, donec expuncto ære alieno; & ædificata domo, auctiſque redditibus, ad Collegij formam reuocentur.

6 Contributionibus imponendis Collegia ne grauet (niſi magna quædam, & inſuperabilis neceſſitas iuuandorum Seminariorum ad id cogeret) quin potius pecunijs, quas in ſua habet poteſtate, eorum indigentiam ſubleuet (Cõgregatio Septima d. 82. §. 7.) & quò in poſterũ certiùs conſtet de cõmunibus expenſis Prouinciæ; ſingulis annis, exeunte Ianuario, à Procuratore Prouinciæ exigat earum rationem: quam vt etiã ipſe reddere poſſit de pecunijs ſibi vndecunq. & à quocunq. traditis; curet per Socium in peculiari codice accepti, atq. expenſi accuratè ſcribi.

7. Ad ſumptus minimè neceſſarios vitandos, diligenter conſideret, an ſuperflua domi habeantur. v. g. equi, famuli (Congregatio Septima d. 82. §. 7.) atque in prima Congregatione Prouinciali adhibitis in conſiliũ Patribus antiquioribus, ac bono zelo præditis, diſpiciat, an decurſu temporum maximè contra Conſuetudines Prouinciæ, de quibus mentio fit in Ordinat. Generalium cap. 8. pag. 57. §. 7. & contra Viſitatorum, ac Prouincialium ipſorum Ordinationes, introductum fuerit, quod in ratione victus, & veſtitus, in recreationibus, in ſupellectili domeſtica, in excipiendis hoſpitibus noſtris, in inuitationibus externorum, ac ſimilibus religioſam paupertatem, ac frugalitatem minus

de-

deceat: vt id totũ, auctoritate (ſi opus ſit) P. Noſtri, ad antiquam ſimplicitatem reuocetur.

8 Parcus ſit in peregrinationibus concedendis, præſertim non ſine equo, vel rheda obeundis: curabitque, vt Noſtri, dum ex vno in aliud Collegium commigrãt, pedeſtri itinere in toto, vel in parte vtantur: & vt in equitando ſolius neceſſitatis ſuæ perſonæ, ſiue negotiorum (quam Superiores mittẽtes iudicabũt) ratio habeatur. Cong. 3. dec. 37. Regul. Prouincial. 115.

9 Taxam viatici dari ſoliti demigrantibus ab vno loco in alium intra, vel extra Prouinciam recognoſcat, & iudicio peritorum (ſi opus eſſe videatur) emendet, eamque ab omnibus, præſertim à Concionatoribus obſeruari curet: omneſque intelligant, ſi quid ſuperfuerit è viatico ſiue à Collegio, vnde diſceſſit, tributo, ſiue ab amicis eleemoſynæ nomine donato, id totum Collegio, ad quod venit, eſſe reſtituendum, ac facturos contra paupertatem qui ſecus fecerint.

10 Superioribus petentibus licentiam ædificandi, vel noui alicuius operis moliendi, ac potiſſimùm accipiendi mutuò pecunias, ne facile annuat: ſed priùs intelligat cauſas, neceſſitatem, ac modum reſtituendi: ac ſatiùs omnino fuerit, vbi Rectores vrgent, expectare donec per occaſionem viſitationis ſuper locum ipſum neceſſitas, & ratio operis, quod proponitur, faciendi cognoſcatur.

11 Vt nonniſi peritis œconomiæ rei fami-

 liaris

liaris adminiſtratio committatur; Prouincialis, antequam Generali aliquem eligendum in Rectorem proponat, Informatores admoneat, vt de hoc maximè talento diligenter ſcribant: & ſi is, quem proponere ſtatuit, aliàs gubernauit; ex literis Conſultorum, & viſitationibus Collegij, cui præfuit, aliquid etiam lucis accipere poterit: & maximè vſui eſſe poterunt rationes redditę Succeſſori, quādo defunctus fuit officio: quarum rationum exempla in futurū ad Prouincialem mittenda erunt, & in Archiuio aſſeruanda.

12. Qui deſignati fuerint Procuratores; prius quam officio fungi incipiant, per certum temporis ſpatium (ſi aliàs Procuratores non fuerunt) ab aliquo œconomiæ benè perito inſtruantur, rudimenta arithmeticæ condiſcant, & quo pacto libri rationum tenendi ſint erudiantur.

13 Profuerit etiam aliquos iuniores, qui pollere talento gubernandi videntur, prius huic muneri Procuratoris addicere: & ijs, qui Rectoris officio defuncti ſunt, in aliquo alio Collegio curam rerum temporalium demandare. Illud omnino neceſſarium eſt, vt in Prouincia conſtet, non eos tantum Procuratores fieri, qui nullum aliud talentum habent: quod aliqui, licet immeritò, queruntur.

14. Ad continendos in officio Rectores, & Procuratores, plurimū proderit, ſi Prouincialis, iuxta ſui officij reg. 80. bona ſtabilia extra domum, quæ commodè poſſunt viſitari, viſitet: vt videat, num qua inſtauratione egeant, & quid

ad

ad eorum conſeruationem opus ſit: an aliquid omiſſum, quo prædia meliora fieri potuiſſent: an vtiles, & neceſſariæ factæ fuerint expenſæ.

15 Sed nihil æquè promouebit rectam rei familiaris adminiſtrationem, quàm ſi non perfunctoriè, ſed feriò, & accuratè Libri rationum examinentur: & ſi quidem Rector, ac Procurator benè rem geſſerint; ſua laude non careant: ſi ſecus; impunè minimè ferant, ſed publicam aliquam pœnitentiam peragant, vel obiurgentur grauiter in triclinio. Quod ſi præter modum deliquiſſe comperti fuerint; Generalis admoneatur, vt ſi ita viſum fuerit, ab officio vel ſuſpendat, vel etiam amoueat. Congregatio Septima d. 82. §. 8. Octaua d. 15.

16. Statum Collegiorum, & rationem expenſi, & accepti Prouincialis per ſe, vel per Socium accuratè recognoſcat. Neque ſit contentus ſcire ſummam, quæ accepta eſt, & ſummam, quæ eſt expenſa; ſed inquirat etiam vndè ſit accepta; & quibus in rebus, ac quam neceſſarijs ſingillatim expenſa.

17 Inquirat etiam diligenter de debitis tum actiuis, tum paſſiuis: item de quantitate tritici, vini, olei conſumpti, vel reſidui: atque, vt hoc certius fiat, exhiberi ſibi curet libros omnes Procuratoris ad hanc cognitionẽ neceſſarios. Quibus omnibus, cum numero perſonarum, quæ fuerunt in Collegio, collatis, iudicium ferre poſſit, an fuerit aliqua effuſio.

18 Ad hæc ſtatum præſentem Collegij, quam

veriſſimè poterit, exprimi curet in libro reſolutionis computorum: & conferat cum ſtatu anni præcedentis, vt videat, num quæ mutatio contingat vel in deterius, vel in melius.

19 Denique conficiet breuem relationem Generali mittendam, ex qua Collegij ſtatus iudicetur, v.g.

Status habitualis Collegij N.

Habet in pecunia numerata ſingulis annis. ſcuta.	ſc.	1090
In alijs redditibus ex Prędijs, ac fundis.	ſc.	400
ſumma.	ſc.	1490
Onera ordinaria ſunt.	ſc.	330
Itaque Prouentus purus eſt.	ſc.	1160

Ex quo poſſunt ali Socij 20.

Status actualis.

A die 20. Maij 1647. vſq. ad 30. Auguſti 1648.

Percepta in pecunia numerata.	ſc.	900
In alijs prouentibus.	ſc.	480
Summa.	ſc.	1380
Conſumpta in pecunia numerata.	ſc.	800
In alijs prouentibus.	ſc.	430
Summa	ſc.	1230

Re-

Remanēt in pecunia. ſc. 50. in tritico, vino, oleo. ſc. 100. ——————— ſc. 150

Summa. ——— ſc. 1380

Vndè apparet æqualem eſſe ſummam accepti, & expenſi, ſi ratio habeatur eorum, quæ domi reſtant.

Poſtremò, quod ſua reg. 85. habet, rerum mobilium Inuentaria conſerri omnino faciat cū Inuentarijs in præcedenti viſitatione à Prouinciali, vel Viſitatore ſubſcriptis: ac diligenter inſpiciat, an rerum omnium ratio conſtet, an videlicet res nouæ adſcriptæ, veteres expunctæ (quod accuratè fieri ſemper debebit) ſuis temporibus fuerint, præſente Miniſtro, & Officiali.

Pro Rectore.

1 ANtequam rationem œconomiæ ſcripto exaratam, & chirographo Anteceſſoris ſignatam ſua manu confirmet, intelligat, & (quantum fieri poteſt) inſpiciat, an re vera tantundem pecuniarum in arca, tritici, vini, olei, & reliquæ annonæ in penuarijs, creditorum, ac debitorum in nominibus ſit, quantum affirmatur: &, ſi res aliter ſe habere deprehenderit; ne ſe ſubſcribat, & Prouincialem admoneat: & ipſorum computorum ſeu à ſe confirmatorum, ſeu non cōfirmatorum exemplum tranſmittat, aſſeruandum in Archiuio, vndè ſemper conſtare poſſit de bona, vel mala adminiſtratione Anteceſſoris.

Cogno-

2 Cognoſcat quamprimum ſtatum etiam habitualem rerum temporalium Collegij ex libro, cuius mentio fit in Reg. 21. Procur. in quo continetur ſumma omnium Inſtrumentorum, & titulorum iurium, atque actionum, & bonorum omnium ſtabilium, ac quaſi ſtabilium: & primo quoque tempore, ſi commodè fieri poterit, viſitet prædia ruſtica, recognoſcat eorum fines, aduertat num quà indigeant reparatione, aut cultura, an pecore neceſſario inſtructa ſint, quæ conditiones, & pacta inter Collegium, ac Colonos conſtituta ſint: neque ſemel viſitaſſe contentus, aliquoties eadem in triennij decurſu viſitabit.

3 Oeconomiæ formam, inconſulto Prouinciali, ne immutet (Congregatio Septima d. 82. §. 6.) verbi gratia circa prædiorum locationes, circa modum ſerendi, putandi, plantandi, vina conficiendi, ac ſimilia: ſed ſe locorum conſuetudini conformet, atque id ipſum fieri à Procuratore iubeat: neque vllum nouum ædificium inchoët ſine expreſſa Prouincialis licentia, & vrgenti neceſſitate: multoque minus Benefactores volentes aliquam pecuniæ ſummam Collegio elargiri, abſque vlla conditione, inducat, vt ad aliqua opera minus neceſſaria conficienda deſtinet, v. g. ad picturas &c.

4 Laudabilis conſuetudo in Noſtrorũ victu, ac veſtitu, cæteriſque omnibus ad valetudinis conſeruationem, & cultum pertinentibus conſtanter retinenda eſt: proinde in his nihil no-

uiin-

ui introducat, aut introduci patiatur: caueatq. diligenter, ne dum liberalis auram captat, frugi ſamam amittat: atque in excipiendis hoſpitibus, in tractatione externorum, in recreationibus extraordinarijs, conſuetudines Prouinciæ, de quibus in Ordin. General. c.9. §.7. exactè obſeruari procuret.

5 Depoſitum pecuniarum (ſi fortè aliquo raro caſu, neceſſarijs de cauſis, admittat) ſeruet intactum, nec illo vtatur: mutuum autem nullo modo accipiat, niſi ob vrgentem neceſſitatem victus, ac veſtitus Noſtrorum: & tunc ſumma non excedat ſcuta 30. ter tantùm in anno accipienda: idque de ſententia Conſultorum, præuio examine de reſtituendi facultate: nec maiores ſummas accipere mutuo ſas ſit abſque Prouincialis licentia.

6 Si quid ex annuis Collegij redditibus, aut pecunijs iure legati, vel hereditatis, vel alio quopiam nomine perceptis ſuperſit; id totum in ære alieno diſſoluendo, vel augendis redditibus, non autem in ædificijs, ac ornatu minimè neceſſarijs inſumatur.

7 Omnes pecuniarum ſummas (etiam quæ conflantur ex pretio rerum venditarum ab aliquo Officiali, v.g. Sartore, Coquo, Diſpenſatore) curet tradi Procuratori, & in codicem accepti referri: nec patiatur eiuſmodi Officiales quicquam vendere, aut alio modo diſtrahere, niſi, conſulto Miniſtro, aut ipſo Procuratore.

8 Crebrò conſultet de rebus temporalibus, voca-

vocato quoque Procuratore, quem ſuo officio fungi permittat: nec ita ſe gerat, vt is nudum tantum nomen habere videatur. In celebrandis contractibus, ſiue publicis, ſiue priuatis, ne nimium ſuæ prudentiæ fidat: & ſi quidem perpetui ſunt; Cunſultores prius audiat, quàm ſuam obliget fidem: eiſque fideliter, atque diſtinctè conditiones omnes contractus exponat, conceſſo etiam ad deliberandum tempore aliquo,& expectato Prouincialis reſponſo. Quin & in rebus maioris momẽti ratificationem Pręposito Generali reſeruet: nec illam temerè promittat,ſed clarè ſignificet ſuſpensũ manere contractum,donec obtenta fuerit: & vbi celebrati fuerint; eorum Inſtrumenta ad Vrbẽ traſmittat.

9 Vnum reſtat, in quo penè ſunt omnia, quàm accuratiſſimè ſingulis menſibus dati, & accepti rationes à Procuratore exigat, ex reg. ſui offic. 57. examinet ſingula, an plus carnium, piſcium, ceterarumque rerum illo menſe conſumptum ſit, quàm vſus ferat: certis temporibus nomina debitorum inſpiciat, vt videat, an moroſi ſint ipſi in ſoluendo, an Procurator in exigendo: intelligat quantum tritici, vini, olei conſumptum ſit: neque omnia examinanda ad finem anni reſeruet. Denique antequam officio defungatur, exactiſſimè rationẽ adminiſtrationis ſuę Succeſſori reddat,& ſcripto conſignet: eo modo, quo ſupra cũ ageretur de Prouinciali, ab ipſo exigendam eſſe in viſitatione declaratũ eſt. Ord. Gen. Congregat. Octaua d. 60. §. 4.

Pro

Pro Procuratore.

PRocuratoris munus quinque ferè capitibus definitur. Primò, vt bona, ac iura Collegij conſeruentur. Secundò, vt redditus ne decreſcant, ſed potius augeantur. Tertiò, vt quæ Collegio debentur, ſumma diligentia exigantur, & omnia neceſſaria opportunè comparentur. Quartò, vt res, & pecuniæ rectè diſpenſentur. Quintò, vt dati, & accepti ratio ſemper conſtare poſſit. Ex quibus in primis apparet huic muneri eſſe deſtinandum hominem valde prudentem, peritum, & fidelem, nullaq. alia occupatione, quæ ſuum munus impediat, implicitum.

1 Iam quod ad primum caput pertinet, nõ ſolũ in Archiuio Inſtrumenta originalia, & tituli, quibus cõſtet de iure bonorum omnium, vt dicitur Reg. 19. & ſeorſim hæc eadem inſtrumenta manu Notarij ſubſcripta habeãtur, vt reg. 20. ſed præterea Procurator librum habeat, cuius meminit reg. 21. in quo ſingillatim deſcripta ſint omnia bona ſtabilia, qualia ſunt Prædia, Domus, & quaſi ſtabilia, hoc eſt cenſus, loca montium, canones, vno verbo, Iura ad annuos redditus: ac de ſingulis hæc omnia generatim notari oportebit, quo tempore ad Collegium peruenerint, vel acquiſita fuerint, quo titulo, donatione, an hereditate, an legato, an emptione, &c. quo loco poſita ſint, qui eorum fines, quanti æſtimentur, quos redditus pariant: num aliquod onus annexum habeant, & qua-

le.

le. De fundis explicetur quot ſint menſurarum, verbi gratia iugerum, cuius qualitatis, an feraces tritici, vini, olei, an ſolum compaſcua, an ſyluæ. De cenſibus dicatur, à quo empti, quanto pretio; quid reddant, & quantum, vbi fundati, quis fideiuſſor, quo tempore exigantur fructus. De locis montium, qualia ſint, quot, quanti ſteterint, quantum reddant, quis Depoſitarius. Hæc autem omnia ſic diſtinctè in hoc libro deſcribantur; vt inter deſcriptiones ſingulorum aliquot folia interponantnr, in quibus decurſu temporum, ſi quid mutatum fuerit, addi queat. In eodem libro ſucceſſionum (ſi forte ſperentur) mentio fiat.

2 Primo quoque tempore viſitet bona omnia Collegij, diligenterque conſideret, an aliqua reparatione Domus egeant, an opus aliquod faciendum, quo torrentium, ac fluuiorum irruptiones in agros arceantur: attentus ſit, ne vicini aliquam in noſtris fundis ſeruitutē acquirāt denouo, in Prædijs ruſticis, itineris, actus, viæ, aquæductus, ducendi pecoris, hauriendæ aquæ, coquendæ calcis, fodiendi arenam: in vrbanis verò, altiùs tollendi, ſtillicidium auertendi, immittendi tignum &c. eaſdem ſeruitutes actiuas, ſi Collegium habeat, conſeruari procuret.

3 Quoad Secundum bonos, ac fideles Colonos habeat, non nimis pauperes, aut inutili familia oneratos, nec, quantum fieri poterit, Noſtrorum conſanguineos, aut affines. Prædia

pe-

pecore maiore, ac minore ſint inſtructa: vites, oleæ, arbores frugiferæ locis opportunis de conſilio peritorum plantentur: curetque ſtatis temporibus noualia præparari, ſementem fieri, ſegetes purgari, vineas putari, occari, repaſtinari; foſſas exhauriri, atque in his omnibus mores patriæ obſeruet, nec nouam aliquam culturæ formam temerè inducat.

Quoad Tertium ſi vnquam, eo potiſſimum tempore Collegij Prædia viſitet, ac præſens adſit, quo fruges metuntur, ſeruntur, colliguntur, vindemia fit, oleum exprimitur, neque nimium Ruſticis fidat: eodem tempore à Colonis mutuo data repetat, & ſtatis temporibus ab alijs Debitoribus, nec nimis indulgeat: moræ ſiquidem ſoluendi longa conceſſa plerumque fiunt non ſoluendo. Opportunè res neceſſarias ad victum comparet, vt Reg. 6. monet, ne eas non perinde bonas, aut non æquo pretio emere poſtea cogatur: quicquid autem frugum in prædijs collectum fuerit, aut pecunia emptum Officialibus ſic tradendum, vt ſciant, ſe de ijs tertio quoque menſe rationem reddituros: eritque ſanè repetenda, vt conſtet quantum tritici, vini, olei, caſei &c. conſumptum ſit, quantum ſuperſit: ab Emptore autem omnino quotidie expenſarum rationem exigat.

4 Quoad Quartum, tametſi propriè ad Rectorem, ac Miniſtrum pertinet curare, vt in ſumptibus facendis religioſa paupertas, ac bonæ conſuetudines ſeruentur; tamen Procurator

tor etiam id ſuarum eſſe partium ſibi perſua-deat: ideoque ne plus carnium, piſcium, ouorum, ac ceterarum rerum emi patiatur, quàm neceſſe ſit: idemque ſeruandum de alijs rebus ad veſtitum neceſſarijs.

5 Quod ad Quintum, ac poſtremum attinet, vt Procurator ſingulis menſibus, & quotieſcunque ſuo defungetur officio, dati, & accepti rationem reddere poſſit; duos codices habeat, præter alios minus neceſſarios: alterum, in quo per ſingulos menſes appareat quantum pecuniarum numeratarum, à quibus, quo nomine acceptum fuerit, & quantum expenſum: alterum, in quo omnium Debitorum Collegij nomina diſtinctè deſcripta habeat.

Denique commendatur omnibus tum Prouincialibus, tum Rectoribus, tum Procuratoribus, vt peculiarem habeant curam Eccleſiarum, quæ pertinent ad Beneficia Collegijs vnita, & vt alia eorundem Beneficiorum onera, præſertim ſi quæ ad Xenodochia, & pauperes ſpectent, diligenter inquirant, omnibuſque id genus pijs obligationibus cumulatè ſatisfaciant: certi Diuinam Prouidentiam non defuturam ijs, quibus ea, quæ ad Deum pertinent, cordi fuerint.

FINIS.

A01/19709917